# DECISIO
## S. ROTAE ROMANAE
## Coram R. P. D.
# PEVTINGERO
## IN CAVSA
## Hispalen. Iuris amouendi Curatos.

*Veneris 21. Iunij 1641.*

1 DOMINI steterunt in decisis coram me sub die 20. Aprilis 1640. non obstantibus ijs, quę informantes pro parte Curatorũ longa serie obijciebant, quæ ad quatuor ferè capita reducebantur. Aiebant enim primò, non cõstare de quasi possessione Eminentiss. Cardinalis Archiepiscopi, quoad ius remouendi Curatos ad nutum. Secundò, istam amouibilitatem in Beneficijs Curatis nullo modo posse permitti. Tertiò, remotionẽ saltem fieri non posse sine causa. Quartò, in præsenti casu quoad quinque Curatos factam esse ex odio, vel indignatione.

2 Et quoad primum dicebant non constare de quasi possessione Eminentiss. Cardinalis Archiepiscopi, quia testes super ea deponẽtes sunt nulliter examinati, vtporè absque citatione, vndè non probant ad *text. in c. 2. de testib. l. si quando C. eod. tit. Rota decis. 15. de testib. in nou. & decis 764. nu. 5. par. 3. recent.* Secundò, quia non concludunt in dicto, qualitatem hanc necessariam remotionis sine causa, cùm nullam reddant rationem scientię super defectu causæ, vt debebant etiam non interrogati. Tum quia agebatur de probanda negatiua existentis causæ. *Alex. cons. 136. nu. 6. vol. 1. Gregor. XV. decis. 42. nu. 3. & decis. 105. nu. 23.* latè *Farinac. de testib. quæst. 70. nu. 23.* Tum quia quod remotio fiat sine causa videtur potius cadere sub intellectu, quàm sub sensu testis, quo casu etiam redditio causæ scientiæ est necessaria, *Bart. in l. solam nu. 3. vers. sed si deposuit C. de testib. Rota decis. 711. nu. 8. par. 2. recent. & apud Buratt. decis. 325. nu. 4. cum alijs per Farinac. d. quæst. 70. num. 6.*

3 Quod attinet ad secũdum amouibilitas ista ad nutum in beneficijs curatis dicebatur expressè repugnare, tum *Conc. Trid. c. 13. sess. 24. de reform. vers. in iis quoque,* vbi iubetur Episcopis, vt distincto populo in certas Parrochias vnicuique suum perpetuum Parrochum asignent. Tum iuri communi, ex cuius etiam dispositione Curati debent esse perpetui. *ad text. in cap. vnic. de Capell. Monach. in 6.* nec potest quis pro libitu volũtatis sui superioris à beneficio remoueri, vt ait *glos. in figuratione casus vers. nota primò, & in verb. perpetui.* rationem asignans, quia beneficia non dantur ad tempus. *cap. Sanctorum 70*

*distinct.* vbi *in qua Ecclesia quis est intitulatus in ea perpetuò perseueret.c. satis peruersum* 56.*distinct.* vbi *non debet quis sine culpa beneficio priuari, cum alijs concordan.*

4 Repugnare dicebatur tertiò rationi, quia Concilium ideò perpetuos Parrochos exigit, vt oues suas cognoscere valeant; sunt enim Pastores, *cap. quamuis 7 q.1.S.Ambros.ser.13.de Natali Domini.* vbi *Grex populus, Pastores sacerdotes dicuntur.* melius igitur suas oues dignoscent, si perpetui sint & non temporales, vt in his terminis dixit *Rota decis.24.vers.quarta ratio. de præbend. in nouis.* Preterea cùm sint Patres 96.*distinct.cap.9.* non decet eos esse temporales, *glos.in d.cap.vnico in verb.perpetui de Capell. Monac.in 6.& ibi Prob.ad Monac.num.1.argum.text.in l.si tibi,ff.de adoption.* Deniq; sicuti matrimonium carnale ad tẽpus non contrahitur *c.final.de condit.apposit.c.solet.32.quæst.2.* ita nec spirituale.*glos.in d.c.vnico in verbo perpetui. Gonzal.ad reg.8.glos.5.nu.12.argum.text.in cap.sicut.7.q.1*

5 Et hanc amouibilitatem in beneficijs curatis admitti non posse non obstante quacumque contraria consuetudine tenere videtur, *Gonzal.glos.5.§.6.nu.60 Garz.de benef.par.1.cap.2.num.75.& Rota in vna Toletana iuris nominandi 29.Nouẽbris 1582.coram Blanchetto,* in qua cùm quæreretur, an Laicus fundator parrochialis posit in fundatione facere, quod Rector sit amouibilis ad nutũ Patroni, in partem negatiuam inclinauit, vt refert idem *Gonz.vbi supra glos.5 §.6.num.61.*

6 Tertium nempè quod remotio saltem fieri non posit sine causa, probari videbatur ex allegato *c.vnico de Capell.Monac.in 6.* ibi, *nisi per Episcopos, & ex rationabili causa,& ibi glos.& Geminian.nu.5.Franc nu.2.* concordat *text.in c.inuentũ 16.q.7.c satis peruersum 57.distinct.cap.vlt.30.q.1.c.Sacerdotes 50.distinct.sequitur glos.in cap.cognoscentes de Const.* vbi *non debet quis sine culpa iure suo priuari.* Et hoc maximè procedere in casu, de quo agitur, cùm deputationes horum Curatorũ fiant ad beneplacitum, quæ verba nõ liberam voluntatem, sed arbitrio boni viri regulatam important, secundùm *Abb.in c.verum,nu.6.de for.compet.Felin.in c.1.nu.51.vers.Et si dicatur ad beneplacitũ,de constit.argum.text.in l.Thais.§ seruo,ff.de fideicom.liberat. Corn.cons.92.nu.11.& 12.lib.2.Crauett.cons.732.nu.27.& seq lib.4.Soccin.iun cons.63 num.4 lib.2.cum alijs per Menoch.de arbitr. lib.1.q.8.nu.10.Gratian.discept.167.nu.48.*

7 Et in puncto quod Curati amouibiles non posint absq; rationabili causa remoueri decisum asserebant à *Sac.Congreg.Concil.in vna Hispalen.11.Iulij 1626.*

8 Quartum quod remotio facta fuerit ex odio, vel indignatione deducebatur ex eo quod cùm Vicarius generalis Archiepiscopi die 7.Aprilis 1637.mãdatum de obseruando cõcordiam cum Beneficiatis initam promulgasset, Curati contradixerunt, & inter illos hi quinque, ex qua contradictione odium sibi apud Archiepiscopũ comparasse dicebantur, *argum.text.in cap. si quis Diaconus,& notat ibi glos.in verb.& inimicos,c.si quis præpopera iuncta glos.in verb. sententiam,50.distinct.* Vndè secuta postmodum amotio à Curis, imò & carceratio ex præexistenti causa odij processisse præsumenda erat, concurrentibus præsertim alijs coniecturis per scribentes allatis. Et sic intrare conclusionem quòd licèt remotio fieri posit sine causa, id tamen non procedit, quando fieret ex odio, vel malitia ex cumulatis in *prima decisione,§.ita enim.*

9 Et hæc ferè erant, quæ pro parte Curatorum contra decisionem obijciebãtur, quæ licèt non essent præsentis inspectionis, DD. tamen sine responsione præterire noluerunt, vt eò magis resolutionis iustitia appareret plenius alias, & vberius discutienda.

Et

10 Et quoad examen testium sine citatione obiectum cessabat ex facto Nam contrarium apparet *ex process. fol.* 379. Nec desideratur in eorum dicto expressio qualitatis remotionis sine causa cum sufficienti ratione, quam sufficientem dicunt, si concludat verosimiliter, seu probabiliter, & à commu niter accidẽtibus *relati per Farinac. q. 70. nu.* 147. Maximè si agatur de ijs, quæ sensu corporeo immediatè non percipiuntur, vt aduertit *ibidem Farinac. nu.* 148. quia deponunt de visu, & auditu per 40. & amplius annos recẽsentes casus particulares remotionum sine causa, nullisque actis iudicialibus pręcedentibus, & hoc ipsi sciunt, quia ita practicari viderunt, et si aliquid in contrarium fuisset, ipsi vidissent, & sciuissent propter magnam communicationem, quam habent cum Curatis, qui fuerunt remoti, & quia frequenter versantur in Curia Archiepiscopali. Nã quando remouetur aliquis ob causam, illa quidem solet innotescere, & per hominũ ora vagari, itaut per sensum auditus optimè percipi possit à teste. Imò multi deponunt de facto proprio, dicentes in specie aliquando etiam se de vna ad aliam Ecclesiã nulla præcedente causa pro libitu Archiepiscopi fuisse mutatos, prout latius videre est *in processu à fol.* 380. *vsque ad fol.* 440.

11 Circa secundum, nempè quod ista amouibilitas in Curatis admitti nõ possit obstante dispositione *Concilij Trid. c.* 13 *sess.* 24. *de reform.* Duo cõsiderabãt Domini. Primò, quod Concilij textus loquitur de ijs locis, vbi Ecclesiæ certos non habent fines, & cura confusè, ac promiscuè administratur, vt aduertit ibidem *Bellarm. in suis obseruationibus vers. certos non habent fines, & Barbos. in collectan. ibid. nu.* 7. *& de offic. Paroch. cap.* 1, *nu.* 23. Secundò, quod Concilium non præcisè arctat Episcopos ad assignationẽ perpetui Parochi, ita & taliter, vt non possint alio vtiliori modo prouidere; loquitur enim alternatiue, ibi, *aut alio vtiliori modo prouideant*, per quam alternatiuam, *aut*, dat electionem Episcopis, *ad text. in cap. in alternatiuis* 70. *de reg. iur. in* 6. *c.* 1. *inter cæteras de rescript. l. si quis C. de cond. indeb. l. si quis ita, ff. de verb. oblig.* & quod magis est in verbis textus admittit dari posse etiam vtiliorem modum prouidendi.

12 Imò idem Concilium *cap.* 7 *sess.* 7. *de reform.* iniungens Episcopis, vt in visitatione Ecclesiarum vnitarũ prouideant, vt cura animarũ laudabiliter exerceatur, vtitur his verbis, *per idoneos Vicarios etiam perpetuos*, & sic ponderando dictionem, *etiam*, quæ exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem *ad text. in l. etiam* 141. *ff. de verb. signif. Dec. in l. qui se patris nu* 11 *C. vnde liberi, Rota decis.* 100. *nu.* 14. *par.* 5. *recent.* admittit in specie modum deputandi Vicarios amouibiles esse vtiliorem. Quod confirmat addendo statim, ac loquutum est de perpetuis, *nisi ipsis Ordinarijs pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* dictio enim, *nisi*, ponitur exceptiuè á proxima dispositione, *cap.* 1. *de præscript. in* 6. *cap.* 1. §. 1. *ne sede vacante eodem lib. & vtrobique notat gloss. in verb. nisi. Rota decis.* 413. *nu.* 14. *par.* 4. *rec. Surd. decis.* 225. *nu.* 19. *& dec.* 264. *nu.* 17.

13 Hoc idem videtur admittere *cap.* 11. *sess.* 25. *de regular.* quamuis enim ibi dicatur quod in Monasteriis, quibus cura imminet animarum, non deputentur aliqui etiam ad nutũ amouibiles, nisi de Episcopi consensu, ac præuio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo, non tamen negat deputari posse amouibiles cum Episcopi consensu.

14 Hinc Sacra Eminentissimorum Interpretum Congreg. sæpius censuit esse in arbitrio ordinarij Vicarium perpetuum, vel amouibilem in Ecclesia cura-



ta vnita

ta vnita constituere, vt videre est in declarationibus super *d.c.7.de reformat. in verb. seu aliis Ecclesiis, & super cap.18.sess.24.de reform. in verb. etiam si cura, & super cap.11.sess.25.de regul. in verb. Iurisdictioni*, & notat *Barbosa in suis collect. ad Côc. d.c.7.sess.7.nu.14.*

15 Neque dicatur hoc procedere in parochialibus vnitis, vel regularibus, in quibus exercentes curam animarum, ideò sunt amouibiles ad nutum, quia cura eis verè non incumbit, sed residet penes Cathedrales Collegiatas, seu alias Ecclesias, vel Monasteria, Beneficia, Collegia, aut loca pia, quia vltra quod *text. in d.c.13.sess.24.de reform.* non loquitur de Ecclesiis vnitis respondere etiam potest, quod cum eodem modo in præsenti casu verè cura non incumbat Curatis particularibus eam exercentibus, sed resideat penes Archiepiscopum, & sic militet in eo eadem ratio, locum habere poterit eadẽ iuris dispositio ad *text. in l. illud, ff. ad l. Aquil. glos. in cap.1. in verb. Italiæ de temp. ordin. in 6. Alex. con.75.nu.3. Dec. cons.301. sub nu.5. Crauett. cons.185.nu.3. Surd. consil. 301.nu.19.*

16 Præterea ex eiusdem Concilij dispositione *cap.4.sess.21.de reform.* sicuti in ijs Ecclesijs, vbi populus ita numerosus est, vt vnus Rector nõ sufficiat, potest Episcopus cogere eundem, vt sibi alios Sacerdotes adiungat ad Sacramẽta ministranda, quod etiam dixere *Butr. cons.51. sub nu.4.* vbi ait, *residentes debere sibi assumere Adiutores in cura vbi ipsi non sufficiunt, & Rebuff. in repetit. c. extirpãdæ, §. qui verò de præbend. nu 7. vers. alius est Vicarius temporalis,* vbi *Curatus, qui non potest per se solus seruire deputat Vicarium temporalem, quem potest ad nutum remouere, & ita seruari dicit in ea Ciuitate.* Cur non idem liceat Episcopo quãdo solus Parochus est vniuersalis in sua Diœcesi qualis est Hispalensis, deputando Sacerdotes, per quos cura exerceatur: decet enim Episcopum onera sua cum alijs partiri, vt ait *text. in cap. fin. de offic. Archipresbyt, & ibi gl. s. in verb. sua onera,* efficacius enim mandata diuina exequetur, si onera partiatur; *cap. mandata, & ibi glos. de præsumpt.*

17 Et tolli videtur omnis difficultas, quia modum hunc curæ incumbẽtis Episcopo per Presbyteros administrandæ Concilium videtur expresè admittere, *d.c.18.sess.24.de reformat.* ibi *etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per vnum, vel plures administretur,* & infra, *in quibus Episcopus vni, vel pluribus consueuit curam animarum dare,* vt aduertit *Gonzal. d. glos. 6.nu.74.* idq; etiã admisit *Rota diuers. decis.17.par.1. sub num.1.* in Diœcesi Calaguritana, *vbi ait in ea Diœcesi non adesse beneficia curata præter duo, sed curam esse apud Episcopum, qui eam demandat aliquibus presbyteris,* & coram *Seraph. dec.942.num.1. & 15.* vbi ait *esse multas parochiales Ecclesias, quarum cura non est penes aliquem intitulatum, sed penes Archiepiscopum, qui deputat aliquos ad exercitium Curæ,* quod repetit *Gonzal. glos. 6.num.66. & num.68.* vocat *istos Clericos Adiutores Episcopi non veros Rectores argument. tex. in c. fin. de offic. Archipresbit.*

18 Et de Archipresbytero Castri Regalis loquitur *decis. 226.par.1.recent.* quem *nu.1.* admittit *esse Rectorẽ, & Parochum totius d. Terræ, illique incumbere curam omnium animarum, aliasq. Ecclesias esse dependentes, & adiutrices erectas pro maiori populi commoditate,* & *num.2. illarum presbyteros esse amouibiles,* & *num.5. dd. Ecclesias non esse Parochiales, licèt Sacramenta in illis certo populo administrentur,* quæ decisio fuit confirmata per *decis.258. eadem par.1.* vbi *num.2.* habetur *istos presbyteros esse sine titulo amouibiles, & pro libito discedere,* & *nu.6. dictas Ecclesias non parochiales, sed erectas pro succursu, & auxilio Matricis Ecclesiæ, atque vt magis commodè populo*

*Sacra.*

Sacramenta administrentur, quas ideò dicit sacramentales num. 8. & refert Congreg. Concil. declarasse inualidam fuisse dd. Ecclesiarum electionē in parochiales factam ab Episcopo. igitur si in Archipresbytero admittitur curā in pluribus Ecclesijs exerceri per presbyteros amouibiles, cur idē in Archiepiscopo denegetur quādo solus est Parochus totius diœcesis qualis est Hispalensis?

19 Imò in punto de Hispalensi loquuta est Rota decis. 430. num. 2. par. 1. rec vbi habetur quod Archiepiscopus Hispalensis in tota Ciuitate, & Diœcesi est solus Parochus, & hoc non controuerti. Et dum nu. 5. ait, Curatos esse deputatos ab Archiepiscopo ad exercitium curæ animarum, & Archiepiscopo non sibi possidere citando Vitalin. in clemen. vnic. de offic. Vicar. n. 23. qui loquitur de Vicario temporali. Lap. alleg. 5. num. 8. vers secus de temporalibus, sine dubio hos admisit esse Vicarios temporales, hoc idem repetit Rota decis. 166. ante num. 9. post. Post. de manut. & in Hispalen. Decimarum 2. Martii 1635. coram R.P.D. meo Verospio.

20 Constat igitur ex supra dictis nullo modo repugnare etiam attenta Concil. Trid. dispositione, quod animarum cura in casu, de quo agitur per Curatos amouibiles exerceatur.

21 Vti nec repugnat dispositioni iuris communis, nam text. in cap. vnico de Cappell. Monach. in 6. in contrarium allegatus loquitur in diuersis terminis, nempè de presbyteris, qui per Monachos præsentantur Episcopo, & ab eodē instituuntur, vt sunt clara verba text. & notant ibid. Gemin. & Franc. in princ. Anchar. num. 2. vers. 4. & aduertit Rota in his terminis coram Caual. dec. 350. num. 4. Hi enim, in quibus cadit institutio remoueri non possunt. Ratio desumitur ex ipso textu, ibi, cum debeant esse perpetui. Beneficia enim quæ dantur in titulum, & in quibus cadit institutio, perpetua sunt, c. Sanctorum. 70. distinct. cum aliis concord. Secus est in ijs, qui deputantur ad beneplacitum, & in quibus nulla cadit institutio, neque curam habent in titulum, sed nudum curę exercitium, vt considerauit eadem Rota coram Caualer. d. decis. 350. num. 4. & 389. num. 3. Hos enim licet animarum curam exercentes remoueri posse, admittunt etiam supra allegati DD. Franc. vbi supra num. 5. vers. limita tamen. Gemin. sub num. 8. vers. vel dicendum. Anchar. num. 2. vers. quandoque.

22 Et quod animarum cura exerceri posit per deputatos, seu Vicarios amouibiles ad nutum, tenuit expresse glos. notabilis in clem. frequens, vers. quidam etiā in verb. ad mensam de excess. Prælat. loquēs de Ecclesia pleno iure, etiam quoad spiritualia spectante ad mensam Prælati, vel Collegij, vel dignitatem habentis, quam glos. communi calculo approbarunt DD. in d. clem. Abb. num. 17. circa medi. Vitalin. nu. 83. 85. & 91. Imol. num. 16. Zabarel. in verb. præsentatos nu. 3. de excess. Prælat. idem Abb. in cap. de Monachis. num. 9. de præben. Guillelm. de Mont. Laudun. in rubr. d. tit. de excess. Prælat. num. 9. Rebuff. in repetit. d. ca. extirpandæ, §. qui verò num. 59. de præb. & sequuti sunt Oied. de incompatib. benefic. par. 1. cap. 15. num. 4. & 8. vers. tertium exemplum, vbi de Ecclesia spectante ad mensam Episcopi. Garz. de benef. par. 11. cap. 2. num. 3 idem Rebuff. in praxi tit. de Vicar. perpet. nu. 7. vbi de beneficio vnito mensæ Episcopi, & in tit. de non promotis intra annum num. 66. Barbos. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 54. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 6. c. 29. q. 1. vers. Item quæritur. Corn. cons. 262. ante num. 4. lib. 3. vbi de Ecclesia curata spectante ad mensam Episcopi Forolinien. amplexaque est Rota dec. 2. de excess. Prælat. in nou. num. 2. vbi firmat poni Vicarium amouibilem ad nutum in Ecclesia ad exercitium curæ, quæ principaliter residet penes Episcopum, & decis. 1. de offic. ordin. in antiq. & apud Bisignett. dec. 21. num. 2. de præbend. & apud Gregor. dec. 370. num. 6. & in rec. dec. 5. num. 7. & 8. p. 7.

& de cura incũbente penes Collegium, vel Capitulum per Vicarium amo- uibilem exercenda loquuntur *DD. in c. cum non ignores Innoc. cum. 2. Hostiens. nu. 8. Abb. num. 6. Io. Andr. nu. 3. Zabarell nu. 7 Anchar. n. 3. Butr. nu. 5. Imol. num. 4. post med. de præbend.* vnde absolutè loquendo, nõ repugnat curam per Vicarium amouibilem exerceri, vt præter supra citatos admittunt etiam in Ecclesia sæculari, *Cocc. dec. 18. num. 4 Butr. cons. 51. num. 3 in fine, & nu. 6. vers. Itẽ etiam, & vers. Item ratio. Gemin. cons. 86. n. 3. Rebuff. in d. repetit. § . qui verò cap. extirpandæ, 58. Oied. d. par. 1. cap. 15. num. 2.*

23 Non obstant rationes adductæ in contrarium, Nam quod dicitur Curatos esse sponsos Ecclesiæ, Patres, & Pastores populi, ideoquè debere esse perpetuos, facilè euitatur, considerando, quod hæc propriè conueniunt Episcopis, qui veri sunt animarum Pastores, vt probat allegatus *text. in cap. quamuis 7. q. 1. text. in cap. ne pro defectu de elect. & Conc. Trid. cap. 1. sess. 6. de reformat. Barbosa de iur. Eccles. lib. 1. cap. 11. num. 67. & de offic. & pot. Episc. in compend. nu. 24.* ijs enim oues principaliter fuerunt demandatæ, *vt ait ibidem Barbos.* animarũq; cura eis principalius incumbit, *cap. regendæ. c. quæcumque, & ibi pulchrè Turrecrem. 10. q. 1.* vnde & Episcopus dicitur Curatus Ecclesiarum suæ Diœcesis *Butr. in c. cum non ignores, num. 4. de præbend.* & tota Diœcesis dicitur Parochia Episcopi ad *text. in c. Apostolicæ de donat. & ibi Abb. num. 2. ca. bonæ rei, 12. q. 3. cap. licet 16. q. 3.* ipsi veri Patres, *clem. 1. §. nec super de pœnis, cap. qualis, 2. q. 7.* latè *Barbos. de Episc. grad. diuis. tit. 1. cap. 6 sub nu. 14 circa med.* verique sunt Ecclesiæ spõsi *Guidop. in cap. tua nos sub num. 1. circa med. vers. Ideò diuersitas, & num. 2. de Cleric. ægrot.* & probat *text. in cap. inter corporalia, c. licet de translat.* pulchrè *Abb. in cap. cũ ignores ante num. 5. de præbend.* vbi *quod ad hoc significandum defert anulum.* Minus autem propriè hæc conueniunt Parochis inferioribus, *Guidop. vbi supra num. 2.* nullo autẽ modo Curatis hisce amouibilibus, qui nec verè Curati dici possunt ad trad. per *DD. in c. cum non ignores, Innoc. num. 2. circa med. Abb. nu. 6. Zabarell. num. 7. Butr. num. 5. Hostien. num. 8. Io. Andr. num. 3 circa med. Imol. nu. 4. de præben.* facit *glos. in extrauag. execrabilis. Ioan. 22. verb. temporales Vicarios, Rebuff. tit. de dispẽsat. ration. ætat. vers. vel earũ, & in tit. de non promotis intra annũ nu. 66. in praxi benef. & in tract. congruæ portionis q. 3. num. 18.* Aliud est enim habere curã, aliud habere exercitium curę, *Anan. in d. c. cum non ignores sub num. 2. Anchar. sub. num. 5.* nec vllo modo dici possunt sponsi, *Abb in d. cap. cum non ignores, num. 4. Greg. dec. 370. num. 5.* vnde illos appellat Capellanos *Gregor. loco proximè citato*, officiales vocat *Zabarell. in d. c. cum non ignores nu. 7.* Ministros nuncupat, *Anchar. vbi supra num. 5.* simplices ministros, idem *Anchar. in clem. 1. de exces. Prælat. nu. 16.* & in puncto loquens de Curatis Hispalensibus adiutores in cura dixit *Rota dec. 511. num. 7. par. 2. rec.* simplices ministros *Seraph. dec. 639. nu. 10.* & seruitores nuncupauit idem *Seraph. dec. 923. in princ.* taliquè nomine appellantur in licentijs deputationum, de quibus in *præterita.*

24 Nec releuant auctoritates allegatæ in contrarium; nam *Gonz. glos. 5. §. 6. nu. 60. & Garz. p. 1. c. 2. num. 75.* vltra quod dubitatiuè loquuntur, eorum dicta interpretanda sunt secundum iura, quæ allegant iuxta theoricam *Bart. in l. non solum § si liberationis num. 7. ff. de lib. leg. Ias. in rubr. C. vnde liber. nu. 2. Roman. cõs. 211. nu. 5. Alex. cons. 218. num. 4. lib. 2. Rota coram Coccin. dec. 67. nu. 8. & dec. 474. num. 9. par. 2 rec.* Cum igitur fundent se in textu *d. c. vnic. de Cappell. Monac. in 6 & cap. 13. sess. 24. de reform.* nullũ negocium facessunt eorũ dicta, quia quomodo procedant allegati text. supra satis est explicatum. *Rota verò in d. Tole*

*tana*

*tana iuris nominandi*, negabat talem facultatem fundatori Laico, non verò Episcopo vniuersali Parocho.

25 Circa tertium, quod remotio saltem fieri non possit sine causa ex sæpe citato *textu d.c. vnici cum aliis concord.* in obiectione allatis, nõ obstat eorum dispositio, quia vt supra dictum est, procedit in beneficijs, quæ dantur in titulum, non autem in istis Vicarijs tẽporalibus, & amouibilibus, & licet *text. in c. ad hæc de offic. Vicar.* disponat Vicarium deputatum in Ecclesia curata nõ posse remoueri sine causa, non tamen releuat, quia loquitur de Vicario perpetuo, non autem de Vicario temporali, *vt ibi notant DD.* & patet *ex Summario*; in hoc enim differt perpetuus à temporali, vt perpetuus non possit sine causa remoueri, *vt est text. in d.c. ad hæc de offic. Vicar. & ibi glos. in figuratione casus, & in verbo remouere, Corn. cons. 262. sub num. 2. vers. & ideo similiter lib. 3.* temporalis autem, siue amouibilis remoueri possit ad nutum etiam sine causa, vt est aurea ad hoc propositum doctrina, *Bero. in c. nõ sine multa nu. 10. de arbitr.* cui concordat *Innoc. in c. cum non ignores num. 2. Hostiens. num. 8. & 9. Io. Andr. nu. 3 Butr. num. 5. Imol. num. 4. post. med. Zabarell. num. 7. Anchar. num. 3. circa med. de præbend.* admittentes temporalem Vicarium in Ecclesia curata, etiam sæculari, posse sine causa remoueri.

26 Quæ sanè conclusio manifesta demonstratione comprobatur; Nam certum est huiusmodi temporales Vicarios poni, & deponi pro libito, vt ait *Abb. in d. clem frequens nu. 17. Zabarell. ante nu. 1. vers. 6. nota de excess. Prælat. idem Abb. in c. edoceri nu. 10. de rescrip. Vitalin. in clem. vnica nu. 56 de offic. Vicarii,* & concordat *Innoc. in d.c. cum non ignores nu. 2. Abb. nu. 6. Anchar. n. 3. circa med. Butr. nu. 5. Host. n. 8. Zabarell. nu. 7. de præbend.* sequitur *Butr. cons. 51. n. 6. vers. Item ratio. Gemin. cons. 86 nu. 3. & 4. Barbos. de Iur. Eccles. lib. 3. c. 6. nu. 65.* At verbum *pro libito* importat liberam voluntatem nullo rationis freno subiectam, vt ait *Abb. in d. clem. frequens nu. 7. de excess. Prælat.* quia deriuatur à verbo *libet*, quod dicit liberam voluntatem ad *tex. in l. fideicõmissaria 46. §. 3. ff. de fideicom. liberat. Bart. in extrauag. ad reprimen. verbo videbitur nu. 3. & in l. alio. sub nu. 9. ff. de alim. & cib. legat. Alex. in l. si sic. 78. nu. 3. ff. de leg. 1.* & est *tex. in d. clem. frequens*, vt ibi notat *Abb. d. nu. 7.* idẽ importat verbum, *volo*, ad *text. in l. cũ quidam 24. ff. de leg. 2. l. vtrum ita 8. §. cum quidam ff. de reb. dub. l. fideicommissa §. quamquam ff. de leg. 3. l. fideicommissaria 46. ff de fideicommissar. libertat. Bart. in l. cẽresimis §. si ita nu. 8. ff. de verb. oblig. & in extrauag. ad reprimen. verbo videbitur nu. 3. Alex. cons. 47. nu. 14. lib. 1. Felin. in cap. 1. nu 51 vers. & si dicatur committimus volũtati tuæ de constit. Mathesil. sing. 15. in annot. num. 4.* Igitur Vicarij amouibiles, & temporales possunt quandocumq; sine causa remoueri.

27 Et ratio est, quia isti Vicarij temporales nullum in Ecclesia ius, vel titulum habent *glos. in ca. constitutus in verbo perpetuus, de fil. presbyt. Abb. in d.c. non sine multa in primo notab. de arbitr. Calderin. cõs. 9. nu. 2. de rescript.* vnde nec Vicaria temporalis est beneficium, aut beneficij titulus, *Rebuff. de nomin. q. 15. num. 61. idem in praxi tit. de dispens. ration. ætat. verb. vel earum perpetuæ Vicariæ, Garz. part. 1. cap. 2. n. 93. Gonz. glos. 5. §. 3. nu. 35. Barbos. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 6, num. 58. Rota in Salamantina Vicariæ 15, Maij 1596. coram Blanchetto, relata per Garz. vbi suprà, num. 94,* sed est simplex salarium, seu stipendium, *Rota, & Garz. vbi sup.* vnde nec ad eius titulum potest quis ordinari, *Garz. d. cap. 2, num. 83, Gonz. d. §. 3, nu. 42, Paris. de resign. lib. 2, q. 6, num. 2, cum aliis per Barbos. vbi sup. num, 60,* & isti temporales Vicarij dicuntur præcario constitui, *Bero. in d, cap, non sine multa nu. 10, circa med.*


ideò

ideò quandocumque remoueri possunt *argum.tex.in l.1.ff.de præcar.* & vt benè de istis Curatis Hispalen. loquutus est Promotor fiscalis in sua protestatione, *process. fol.161.* illi non habent nisi simplicem licentiam administrandi Sacramenta quousque voluerit Archiepiscopus: vnde æquū est illos tandiù ea vti, quandiù is voluerit, & vt ille posit reuocare cùm mutauerit voluntatem, vt sunt ferè verba *text.in l.2.ff.de præcar.* cui concordat *text.in l.& habet ff.eod.* secus est in Vicario perpetuo, qui dicitur habere titulum. *Gonz. glos.5.§ 3.n.20. Calder.d.cons.9.de rescript.* & Vicaria perpetua dicitur esse beneficiū, *Garz.par.1.cap.2.nu.95. Rebuff.de nomin.q.9.nu.8. & in tractat.de Vicar. perpet.n.15. Gonz.de glos.5.§.3.n.19. Oied.p.1.c.15.n.11. Azor.p.2.lib.3.c.6.q.5.* vnde potest quis ad titulū Vicariæ perpetuæ ordinari, *Barbos.lib.3. c. 6. n.24. de iure Eccles. Campanil.in diuers.iur.Can.quæst.rub.8.c.4.n.8* & generaliter quæ dicūtur de beneficio locū habentis in Vicaria perpetua, *Garz.p.9.c.2.nu.286. Rebuff in repet.c.extirpandæ nu.64. ad med.de præbend. idem in tract.nominat.q. 9. nu.8. & q.16 n.13. & in tit.de Vicar.n.14. Gonz.d.glos.5.§.3.n.21.* nil mirū igitur si Vicarius perpetuus remoueri non potest hoc causa.

28 Demum quod isti Vicarij amouibiles in Curatis remoueri posint sine causa, videtur etiam esse de mente *Sacræ Congreg. Concilij in vna Ciuitaten.* relata per *Garz.p.1.c.2.num.94. in addit.* in qua dum quæreretur, an Vicarij amouibiles deputati ad nutum Capituli pro exercitio curæ præuia approbatione Episcopi, possent ab ipso Episcopo sine causa amoueri; *Congregat. Concilii* censuit *Vicarios ipsos posse à Capitulo amoueri ad nutum Capituli, ab Ordinario verò non nisi ex causa legitima, & probata, propter quam etiam si perpetui essent amoueri possent.* Ponderādo igitur verba *ad nutum,* quæ liberam importāt voluntatem ex allegat. per *Garz. dicta par.1.c.2.nu.85.* & dictionem *verò*, quæ est aduersatiua, *l.hoc amplius §.de his autem, vbi Bart. ff. de damn. infect. Surd.cons.315.nu.1. Rota decis.520.n.2.p.2 rec.* necessariò, imò expresè firmat Capitulum deputans posse remouere sine causa.

29 Et hanc sententiam quod Vicarius amouibilis posit amoueri ad libitū cōstituentis etiam absque causa, præter superius adductos tenuit *Buer.cons.51 nu.3. & 6. vers. ex quibus, & vers. Item ratio, & vers. Item etiam* loquens de Ecclesia sæculari, & dicit ita seruari in multis Ecclesijs, & hoc vt magis sint prōpti ad obediēā. & curam melius exerceant, dum vident se de facili remouēdos, amplexaque est *Rot. coram Cocc.dec.18.nu.13.* quæ pariter loquitur de Ecclesia sæculari, & de Ecclesia expectante ad mensam Episcopalem, *Corn.cōs. 262.nu.4.5. & 6. lib.3. Barbos.de Iur. Eccle.lib.3 cap.6 nu.65.*

30 Non obstant verba *ad beneplacitum* in deputationibus apposita, quia licet regulariter importent arbitrium boni viri, & non liberam voluntatem *ex allegatis* in obiectione, non tamen per hoc tollitur quin aliquando etiam liberam significent voluntatem, vt voluit expresè *Guidopap.decis.475.num.1. circa fin.* & probat *text.in c.si gratiosè de rescript.lib.6. Rebuff.in liberti 172. versat verbū ff.de verb.signif.* & faciunt notata *per Dec.in cap.1.de constit.nu.40. vers. & in contrarium,* vbi etiam respondet ad *tex.in l.Thais §.sorore, ff.de fideicom. libertat. & num.41. in fine,* vbi *habet quod sicuti verbum, libet, importat liberam voluntatem, ita etiā verbum placet, quia nulla potest assignari differētia;* & in terminis, de quibus agitur quod dicta verba promiscuè accipiatur, & idem significent quod verba *ad nutum,* seu *ad libitum* patet ex proximè citandis DD. qui vtuntur dicto verbo *ad beneplacitum,* & tamen admittunt remotionem fieri posse ad nutū, & sine causa,

causa, vt videre est *Butr. in d.c. cum non ignores nu.5. Imol. ibidem nu.4.* vbi de cura commissa ad beneplacitum, & tamen admittit remotionẽ quando vult, & sine causa *Anchar. num.3.* vbi quod possit remouere quando placet, vt supra dixerat quando vult *Hostien. num.8. Io. Andr. num.3. Cocc. d. dec.18.* vbi deputatum ad beneplacitum *num.5.* admittit remoueri posse sine causa *nu.13. Caualer. decis.350. num.1. Corn. d. cons.262. nu. 6. lib.3.* vbi vtitur verbo ad beneplacitum, & tamen firmat remotionem fieri sine causa. Ergo dicta verba *ad beneplacitum* in casu, de quo agimus, promiscuè accipiũtur, & idem significãt quod verba *ad nutum, seu libitum.*

31 Vti nec obstat allegata *Sac. Congreg. Concili* declaratio, quia procedit in longè diuersis terminis, nẽpè in Confessoribus, seu deputatis ad Sacramenta Monialibus ministranda, quos sapientissimi illi Patres ad nutum Monialium, & sine causa remouendos non esse iustissimè censuerunt; licet enim deputatus ad exercitium curæ possit ad nutum eius, cui cura principaliter incũbit remoueri, non tamen potest remoueri ad nutum eorum, quorũ ipse curam gerit: cùm absurdum sit, quod Pastor pendeat ab ouibus, cum imo potius oues pendere debeant à Pastore.

Vera igitur, ac solida est conclusio, quod Vicarij amouibiles in Curatis possint ad libitum etiam absque causa remoueri.

32 Quod attinet ad quartum caput concernens odium, & maleuolentiam, vt in præterita dicebatur odium, seu inimicitia regulariter non præsumitur, *Alberic. in l. iniuriarum actio nu.1. & in §. si quis per iniuriam, ff. de iniuriis, Crauet. cons.8. nu.8. lib.1. ad hoc text. in auth. de testib. §. si verò quis collat. 7.* sed debet ab allegante probari, argum *text. in l. quoties, §. qui dolo, ff. de probat. glos. in c.2. verb. coniecturas de renunc. lib.6.* quod nullo modo fieri videbatur in præsenti casu. Imò quod dicebatur remotionẽ, & carcerationẽ factam fuisse ex eo quod isti Curati opposuerint se monitorio super obseruatione concordiæ ad instantiam Beneficiatorum promulgato, corruit: quia, vt apparet ex instãtijs pro parte Curatorum datis nouo *Summar. Archiepiscopi num.1.* & *process fol.76. & 85.* remotio, & carceratio per aliquot dies ante præcesserant dictũ monitorium, quod die 7. Aprilis emanauit. Impossibile est igitur eos impugnasse monitorium de obseruando, cum nondum esset in rerũ natura, & non entis nullę sint qualitates *l. nam etsi §.1. & ibi gl. nullus est ff. de Iniust. rupt. irrit. testam. l.1. ff. de hæredit. vend. c. ad dissoluen. & ibi glos. legitimè accusari. de desponsat. impuber.* & carcerationem ex huiusmodi impugnatione causatam cum certũ sit effectum non posse existere ante causam, cum effectus pendeat à causa; causa verò si id, ex quo sequitur effectus, vt post *Philosoph. c.2. post prædicamẽt. & 2. Phisic. c.37.* benè hũc locũ explicãs *D. Thom. lect.10. in fin.* & de causa impulsiua est *tex. in l.1. §. sexũ, ff. de postulan.* cũ secũdum *Bart. & Soccin. in l. demõstr. §.1. n.2. ff. de cõdit. & demõstr. Rebuff. in præfat. repetit. tit. de caus. possess. n.2.* sit id ex quo impellimur ad aliquid faciendũ: vnde, aut debet realiter præexistere á parte rei, vel saltẽ esse pręcognita ad hoc, vt possit mouere voluntatẽ ex traditis per *Suarez tom.1. in 3. p. disput.10. sect.3. §. dico.1. & §. dices quamuis post. D. Thomam 3 par. q.62. art.6. in corpore.* quod tamen non supponitur, nec potuit esse in præsenti casu, cum Cardinalis impugnationem diuinasse non supponatur, imò nec potuerit argum. *text. in l. si putator in fin. ff. ad l. Aquil. c. vt nostrũ, & ibi glos. in verbo diuinare, vt Eccles. benef. sin. dim. Corn. cons.235. nu.4. vol.4. & cons. 192. num.1. vol.3.*

Et

33 Et licèt odium cũ in affectione animi consistat, probetur cõiecturis argum. *text. in l. dolum, & notat ibi glos. C. de dol. cap. 2. iuncta glos. de renunc. lib 6. Abb. in c. repellantur num. 2. de accusat.* Huiusmodi tamen exceptio tanquam requirẽs altiorem indaginem, in hoc possessorio iudicio non est admittenda. *Rota post Posth. de manut. decis. 223. num. 9. & decis. 15. num. 12. & decis. 131. num. 8. & 138. num. 5 & in recent. decis. 366. num. 6. par. 1.*

34 Præsertim contra Archiepiscopum in Cardinalatus dignitate constitutum, cuius dignitatis eminentia omnem suspicionem odij, & malitiæ excludit & saltem clarioribus indicijs esset probanda, secundum *Gomes. in reg. de public. resignat. quæst. 12 sub num. 3. argum. text. in l. 1. & ibi notat expressè glos. ff. de offic. Præfect. Prætor facit text. in ca. absit 11. q. 3. Alciat. cons. 20. num. 1. lib. 7.* Et qua regulare est, quod actus qui potest referri ad licitum, & illicitum potius referendus est ad licitum, *cap. estote de reg. iur. glos. in cap. absit in verbo sinistrum 11. q. 3. Aretin. cons. 23. num. 10. Bart. in l. gerit num. 20. ff. de acq. hæredit. Roman. cons. 343. nu. 9.* & ratio est quia in dubio quis iure suo vti præsumitur, *l. merito ff. pro socio, l. Item apud Labeonem §. si communem ff. de iniur.*

35 Tantò magis, quia cùm Archiepiscopus habeat hanc facultatem à iure, non debet eã tam facilè priuari ex *traditis per Molin. de primogen. lib. 2. cap. 5. num. 24* dicentẽ ad hoc, vt electio indigni dolosè facta videatur, nõ sufficere, quod eligens indignum sit inimicus illius, qui dignus est, sed aliundè probandũ esse, eligentem ex inimicitia motum fuisse ad electionẽ huiusmodi faciẽdam; quem sequitur alter *Molin. de Iust. & iur. tom. 3. disput. 594. n. 5. vers. tã etsi.*

36 Maximè ne detur ansa alijs Curatis de amouibilibus reddendi se perpetuos, vtputà data opera excitando iurgium cum Archiepiscopo, quo sequuto non timebunt amotionem, quia dicẽt procedere ex odio. Et sic ex proprio delicto commodum reportarent, contra expressam dispositionem *text. in l. non fraudantur 176. §. nemo, ff. de reg. iur. l. itaque §. 1. & ibi glos. ff. de furt. l. siue hæreditaria ff. de negoc. gest.* Daretur occasio suscitandi lites, & iurgia, contra *text. in §. Item verborum instit. de inutil. stipulat. l. quidam, 21. & ibi glos. ff. si cert. pet. c. finem litibus de dol. & contum. c. cordi. de appellat. in 6.* Ex facto alieno Archiepiscopus priuaretur Iure, & facultate sibi competenti, contra *text. in l. nõ debet 74. ff. de reg. iur.* Et melioris conditionis essent contumaces, & ij, qui impugnarunt concordiam, quàm obedientes, & ij, qui eã non impugnarunt, contra *text. in l. non solum 13. ff. de noxalib. action. & ibi notat expresè glos. marginal. & facit textus in l. 3. §. 1. cum aliis ibi per glos. ff. de donat. int. vir. & vxor.*

37 Demum esto quod remotio facta fuerit ex prætensa indignatione. Hoc tamen nil releuare dicebant Domini, quia non quælibet indignatio damnãda est, & redderet in præsenti casu illicitam amotionem, sed illa solùm, quæ prouenit ex iniusta causa, vt in simili notant *Doct. in l. qui in carcerem, Bart. & Bald. num. 1. Angel. num. 3. Alberic. num. 2. & 3. ff. quod met. caus. & est text. in l. 3. §. sed etsi, & in l. mulier 21. ff. eod.* & de dolo malo, & bono distinguit *text. in l. 1. §. 3 ff. de dolo malo.* Tantùm verò abest quod Curati probent indignationem Archiepiscopi iniustam esse, quin potius iustam fuisse liquet ex eo, quia cum primitiæ, & oblationes, circa quas versatur concordia spectent ad Archiepiscopum tanquã vniuersalem Parochum, ad ipsum quoq; super illis ius transigendi spectabat, ideoq; iustã habuisse causam indignãdi, dũ videret Curatos impugnantes concordiã super re non sua, & sic velle ligare manus Archiepiscopi, ne disponeret de proprio, & aliena iura sibi vsurpare.

Nec

Nec obstare dicebant DD. quod huiusmodi obuentiones Curatis in corũ deputationibus salarij nomine assignentur *Rota d. decis. 166 nu. 11. post Pest.* ideoque agi de ipsorum interesse; quia animaduertebant interesse dumtaxat esse ipsius Archiepiscopi, qui facta transactione Curatis tenebatur augere stipendium, si vidisset eo indigere. Imò in omnem euentum sufficere dicebant pro iustificanda Cardinalis indignatione præsumptionẽ, quæ in dubio militat pro iustitia transactionis, *Surd. cõs. 451. nu. 27. Alex. cons. 222 num. 12. lib. 2. Rota decis. 86. num. 22. par. 6. recentior.* Quæ sanè præsumptio est tantæ efficaciæ, vt quando etiam pro iniustitia concordiæ pronunciaretur, adhuc tamen excusare posset Archiepiscopum ab odio, vel malitia circa remotiones hucusq; hac de re factas, cùm certũ sit quamlibet causam etiam leuem à dolo, vel malitia excusare, ad *text. in l. igitur §. generaliter, ff. de liberal. caus. l. sed et si leg. §. scire, ff. de petit. hæred. glos. in l. plagii criminis C. ad l. Fabiam de Plagiar. Dec. cons. 452. num. 4. Soccin. cons. 108. nu. 12. cons. 118. num. 7. lib. 1. & cons. 59. num. 18. lib. 3. Castrens. cons. 277. vers. secundo præmitto lib. 2. Crauett. cons. 366. num. 35. & cons. 432. num. 11. & 697. num. 13. Corn. cons. 181. nu. 8. lib. 3. Honded. cons. 58. num. 37. lib. 1. Gregor. decis. 68. num. 9. & decis. 439. nu. 10.* & fuit dictum in *Hispalen. iuris nominandi 21. Maii 1638. coram R. P. D. meo Carrillo.*

38 Patet itaque ex supradictis, constare de quasi possessione Eminẽtissimi Cardinalis. Amouibilitatem ad nutum non repugnare in Curatis. Remotionẽ fieri posse etiam sine causa. Et in præsenti casu factam non esse ex indignatione, vel odio, quod suffragetur: proindeque cessare obiecta pro parte Curatorum excitata. Iure igitur optimo DD. persistendo in decisis manutẽtionem Eminentiss. Cardinali Archiepiscopo in quasi possessione remouendi Curatos ad nutum concedendam esse dixerunt, vtrique parte repetitis propositionibus acriter informante.